

franciscano, autonomia interna et exemptione gaudebat, nec umquam ad statum missionis redacta fuit. Exscribimus hic allegationem, etsi plus aequo longam, sed tamen egregie compositam et rem de qua sermo 'plane comprobantem: »Jam vero considerando eandem provinciam quatenus est una etiam administratrix missionum, seu quatenus in defectu cleri saecularis a tot continuis saeculis curam animarum gerit, notari oportet, quod licet revera inde a sui exordio per quinque scilicet saecula, sola temporalem et spirituales curam sustineat earundem missionum, juventutem scilicet educando, operarios praeparando, conventus, ecclesias, quae supersunt, reparando easdem inter summas etiam persecutiones velut et salvificam Religionem conservando, pro hisque omnibus, non exiguum litrum infidelibus dominis persolvendo, ideoque velut missionaria quoad administrationem considerari potest, attamen cum semper stabilem titulum provinciae cum omnibus praerogativis et exemptionibus reliquis seraphicis Provinciis communibus retinuerit, nec aliunde operarios advocare, et post certum tempus remittere, verum continuo sub canonice electis superioribus militans, sibimet individua, et operarios ibi natos, educatos, ac jugiter permansuros praeparare soleat, tantum improprie, et nonnisi lato sensu, quatenus videlicet privilegiis, favoribus et facultatibus missionariorum gaudent, eadem ejus individua missionarii dici possunt; ideoque nec instar aliorum missionariorum a variis Praefectis, aut a Vicariis Apostolicis privative in omnibus etiam dum curam animarum exercent, hucdum regebatur; sed nonnisi sicut caeteri religiosi in ditionibus Christianorum in conventibus degentes, juxta commune jus Concilii Tridentini et praesertim constitutionem Benedicti XIV incipientem »Firmandis« praesentate proprio superiore regulari, Jusque semper in eos retinente, ad parochias exmittuntur, atque cum eorum etiam consensu sacramenta administrant«. ⁴¹ Clarior commentarius expectari non potest. Franciscani bosnenses unicam rationem missionis in Bosna et Hercegovina vident in ejus subjectione S. C. de Propaganda fide, secus alia in ea ad tramitem juris communis ordinata ab initio cernuntur.

⁴¹ Arch. Conv. de Sutjeska.